



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis De
Chri//stianarum rerum memoria li-//bri decem**

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1531

VD16 H 224

Subuersio Hierusale[m] à Tito & Vespa. Cap. VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29805

RERVM MEMO. LIB. .III.

apostolorum scribit. Quod autē subscriptionē solitā non habet ibi, hoc rationis est, quod praeceptum erat Hebraeis, ne de Pauli nomine dicta susciperent, & idcirco prudēter nomen suū omisit, ne statim in principio Pauli nomine inspecto, lectio eius repudiaretur.

DE SANCTO LVCA.

Caput IIII.

LVcas eiusdem Pauli discipulus, Antiochen⁹ genere, arte medicus, duos nobis libros cōscribit, Actus apostolorum, quos ipse oculis inspexit, & euangelium, quod vt dicitur, ex ipsius Pauli ore describit. Quod etiam Paulus suum nominat, cum dicit: Secundum euangelium meum. sed iam ad historiae ordinem reuertamur.

DE MORTE NERONIS.

Caput V.

Igitur post xiiij. imperij sui annos Nero moritur, Galba & Otho vsurpant principatum, quibus post annum & tres menses defunctis, Vespasian⁹ runc apud Iudæam in exercitu existens, reuocatur, & donatur imperio, cōmendata Tito filio suo causa belli, & impugnatione Hierosolymæ, sub quo præfata ciuitas capitur & subuertitur.

IOSEPHVS. SVBVERSIO

Hierusalē à Tito Vespasiano.

Caput VI.

Ecclēsia vero fidelium, quæ ibidem fuerat congregata, diuino accepto respōso, præuenit subuersionem, & oppidum Pellam nomine trans Iordanē emigrat. Tunc incredibilis fit cædes Iudæo-

HAYMO DE CHRISTIA.

rum, & primo quidem diræ & inauditæ famis exitio plaga intolerabilis diuinitus mittitur, in tantum, vt bella & cædes inter parentes & liberos committerentur, dum non solum è manibus, sed ex ipsis faucibus inuicem rapere cibum decertant. Ad vltimum quidè nec loris vel cingulis, aut etiã ipsis calceamētis abstinent. Portarum quoq; indumenta detrahentes, cōficienda dentibus ingerunt, nonnulli & fœni veteris edunt festucas. Porro gerit̃ ibi facinus execrabile, neq; adhuc apud Græcos, neq; apud Barbaros auditum.

DE MARIA QVAE FILI-

um suum comedit.

Caput VII.

MVlier quædam Maria nomine, genere & facultatibus nobilis, quæ ad diem festum cum ceteris de transiordanis alueo cōfluxerat, cū famis ingrauescente periculo, & hostis deprædatione omnino iam fame deficeret, pessimis vsa consultoribus, paruulum filium, qui ei erat sub vberibus, iugulat, igni suppositū torret. Dimidiū quidem cōsumit, dimidium vero referuat. Prædonibus quidem, mox odore carniū cōperto ingressis, partē offert, Meus inquit, hic partus est, nolite effici aut matre religiosiores, aut fœmina molliores. Edite, nam & prior comedi. Illico vniuersa regio tam nefarij sceleris nuntio repletur. Nec multo post magnifica & famosissima ciuitas Hierosolymorū capitur. Cuius quanta fuerit vastitas, quãta in ea diuersarum mortium strages, vix scripto cōprehenditur, vbi vndecies centena milia fame & ferro peremptorū computantur, exceptis